

I. N. I.
DISSERTATIO MEDICO - CHIMICA

DE
**AQVIS DE-
STILLATIS,**

Divini Numinis Auxilio,
IN FLORENTISSIMA ACADEMIA SALANA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,
DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM,
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, & reliqua,
BENEVOLO GRATIOSISSIMA FACULTATIS MEDICÆ CONSENSV,
PRÆSIDE

**ERNESTO HENRICO
VVEDELIO,**

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE, HVIVOQUE
PROFESSORE PUBLICO EXTRAORDINARIO, MEDICO
PROVINCIALI SAXO-VINARIENSI, CIVITATISQUE

IENENSIS PHYSICO,

DNO. PATRONO ET PRÆCEPTORE ETATEM COLENDO,
publico amicoque eruditorum examini proposita,

a

CÆLESTINO AMANDO Brinß/

Budissa - Lusato,

IN AUDITORIO MEDICO.

Horis consuetis,

A. D. Octobris. Anno CICCCVII.

IENÆ, Literis CHRISTOPH. KREBSII.

13 32

32



SC 261
V I R O
PERILLVSTRI ATQVE
MAGNIFICO,
D O M I N O
GEORGIO WOLFF.
GANGO VVEDELIO,
HEREDITARIO IN SCHWARTZA,
MEDICINÆ DOCTORI,
COMITI PALATINO CÆSAREO,
CONSILIARIO ET ARCHIATRÓ
DVCALI SAXONICO,
THEORETICES PROFESSORI
PVBLICO ORDINARIO,
DOMINO PATRONO ET PRÆCEPTORI
PATRIS LOCO SANCTE HABENDO,
CVM VOTIS PRO INCOLVMITATE PERPETVA
NON INTERPOLATIS,
SPECIMEN HOC,
CEV ÆTERNAE GRATITUDINIS MONVMNTVM
HVMILLIME OFFERT

CLIENS DEVINCTISSIMVS

CELESTINV G A M A N D V D R I N G.



I. N. I.

PROOEMIUM.

Vnde ars quævis, bona quæ est, ad naturæ leges accommodata sit, id neminem forsitan hominem negaturum confidimus. Quoties enim contra naturam, id est repugnante ea, quicquam artifex molitur, toties a recta ratione desciscens, irritum experitur effectum, quem intendebat. Hinc plurimæ artes ex ipsius naturæ contemplatione ac imitatione sunt enatae, mutuumque inter hanc & illas intercedit necessitudinis vinculum, ut natura artem pariat, ars naturam iuuet & perficiat.

Vel sola Chimia illustri exemplo id abunde satis comprobat: in qua operationes præstantissimæ e naturæ gremio pronatae, ad huius ductum & normam fiunt; quæ, quia mediis naturalibus per artem tantum modificatis peraguntur, a natura ipsa videntur peragi, artifice solum causas ad effectum consequendum rationabiliter disponente ac dirigente.

Curiosa insuper est naturæ phænomenorum per artis effecta explicatio, vbi, velut in compendio, amplissimæ illius ordo & methodus clare satis pernoscitur. Quis v.g.

A. 2

plu-

DISSERTATIO MEDICO-CHIMICA

pluuiarum, imbrum, aut aquæ scaturiginum originem & causam, ad oculum quasi demonstrare melius potest chimico, quando diuersorum liquorum destillationem diuersis modis instituit? Ita torrentis ad instar AQUÆ DESTILLATÆ defluunt, & stagnum quasi quoddam emulnantur, de quarum natura, preparacione & usu, breuiteriam acturi, Diuini Numinis auxilium deuota mente exoramus.

CAPVT I.

De aquarum destillatarum natura.

 QVÆ nomen vnde suam habeat originem, haud immrito primo statim loco inquiritur. Vbi quidem dicitur ἀγεν, a duendo, si deriuaretur istud, haud inconueniens videri posset appellationis ratio: *tum* quod, perpetua circulatione, fontium, riuorum, fluminum & aliarum aquarum in oceanum fiat effusio, & vicissim ex oceano tanquam prima origine, omnes aquæ producantur, & in terris vltro citroque ferantur; *tum* quod naues, aliasque res vehat aqua; *tum* vel maxime etiam, ceu nostri iam est scopi, quod vires rerum destillandarum secum per alembicum ducat.

Non absurde tamen aliquibus ex nomine Αχελῶος aquæ vocabulum deduci visum fuit. Achelous quippe fluuius, a Pindo monte oriens, & Aetolian ab Acarnania diuidens, inque Maleacum sinum se exonerans, in Græcia omnium fluuiorum erat celeberrimus; & Macrobius *Saturnal. lib. X. cap. 18.* aliquot testimonii probante constat, Acheloum a Græcis veteribus pro quacunque aqua dici solitum, vt morem antiquum vocat, quo ita loquendi usus fuit, vt Achelous commune omnis aquæ nomen haberetur.

Maxime vero probabilis ea censemur aquæ appellationis derivatio, non minus ac ipsius *equoris*, quæ a Græco Dorico αἴξ, hoc est, *aquum, leue, pro eius*, prouenire statuitur, docente *Vossio Institut. Ora. lib. IV. cap. VI. pag. 89.* Quemadmodum, *inquit*, aqua proprie est cum aqua, vnda vero in tempestatisibus,

DE-

DE AQUIS DESTILLATIS.

DESTILLATAE autem vocantur aquæ, a destillando, quod ex de & stilare, id est, guttatum fluere, quasi deorsum stillare, componitur. Sicut vero Germanis actus destillandi usitate dicitur brennen / ita facile patet, ob quam causam aquæ destillatae ipsis audiant gebrant te Waffer/ eo quod ignis in primis ope impetrantur.

De aliis quoque, quam de quibus hoc loco nobis proprie sermo est, accipitur, vel etiam accipi posse videtur aquæ destillatae titulus: cum pluribus modis liquores guttatum defluentes acquirantur & colligantur. Exemplo esse potest, per filtrum chartaceum, vel etiam pannum lineum aut laneum, per quæ filtratio, vel colatura instituitur; ut sperna ranarum in sacco suspensum, & putrilagine resolutum, per eundem destillat. Nonnum tamen isthac, sub aquarum destillatarum classe recenser, merentur.

Ipsa pluvia e nubibus stillans aquam destillatam naturalem quasi exhibit. Sed & spiritu quidam actiui ope chimica destillati, ob externam solum & apparentem cum aqua conuenientiam aliqualem, aquarum nomine vulgo veniunt, vt sunt aqua fortis, aqua regia, chrysulca dicta, aqua apoplectica, & similia. Quoniam autem hisce non, nisi *improprie*, aquarum nomen tribuitur, propterea, tanquam æquiuoca, e præsenti dissertatione exesse ipsa volumus.

Frequentius fere, præsertim in componendis medicamentis, solum aquæ nomen usurpatum, absque epitheto destillatae, quod breuitatis causa omissum subintelligitur, istius loco potius speciæ differentia posita, quænam e pluribus recipienda fit. Non nullis etiam aquarum stillatiarum appellatio magis placet, vt e mineralibus quæ prodit, phlegma potius audit. Illa vero procul dubio utinepta penitus reicienda foret, si quis Germanicam nomenclaturam Latine redderet, aquamque usitam vel adustum vocaret; velut aliquibus pro spiritu vini, Germanis *Brandwein*/ vinum adustum itidem prorsus incongrue dicitur.

Aquarum destillatarum naturam, sequens DEFINITIO breuiter exhibere nobis videtur: aqua destillata sunt liquores medicamentos aquæ, e vaporibus voridis per calorem elevatis, & commodis instrumentis cohibitis & condensatis, excipiis, pluribus usibus inservientes.

GENVS earum posuimus liquorem: qui nihil aliud est, quam hu-

DISSERTATIO MEDICO-CHEMICA

6 humor liquidus, alienis corporum solidorum terminis, ne diffluat, continendus. Cum igitur & aquæ destillatae parietibus vasorum coerceri debeant, ne pereant, merito sub liquorum classe ipse collocandæ fuerunt.

DIFFERENTIAM exhibent, quæ generalem liquorum significationem magis specificant, dum dicuntur liquores medicamentosi: quia pro salute corporis restauranda, & ad alia medicamenta preparanda vel componenda, potissimum impenduntur. *Aquei* autem sunt hi liquores medicamentosi, ob prædominans in ipsis principium passuum, scilicet elementum humidum aquæ, ut ita a potiori merito fiat hic quoque denominatio. Eo ipso vero simul innuitur, esse aquas destillatas liquores respectiue diffusiores paulo, minus concentratos, ob pauciores, quas vehunt, particulas actiwas iis immersas; quum liquores alii ferme concentratiores esse soleant, minori aquæ diluentis quantitate ad ipsos constituendos concurrente.

Cum autem plures habeantur liquores medicamentosi aquei, qui tamen non sunt aquæ destillatae, exemplo decoctorum: propter ea ulterius determinari debuerunt, per causam & modum præparandi, ut reliqua Definitionis verba innuant. Dicitur enim, quod liquores isti aquei e vaporibus roridis per calorem propulsis, & commodis instrumentis exhibitu ac condensatu, excipiantur. Siquidem per naturam constat, quod calidum agat in humidum, ipsum rarefaciat, & in vaporem resoluat, atque, qua datur porta, propellat. Quodsi ergo vapores isti calore propulsi, ne in auras penitus dissipentur & evanescant, vasis clavis coerceantur; tum parietibus vasorum, ubi frigus, vel minor saltem calor se exerit, adharescant, & in guttulas condensantur, quæ per declive iuxta leges grauium delabentes confluent, maioresque successive factæ destillant, ut vase alio supposito, aquæ forma iterum possint excipi.

SUBJECTVM huiusmodi destillationis aquarum, siue materia, ex qua hæc parantur, constituit principaliter humidum aqueum, quod in vapores resoluti roridos sua natura aptum est, ut haud implemento mercuriale principium, propter hanc euaporabilitatem, eidem innexum tribuatur. Quicquid autem humido aqueo magis destituitur, illud destillationi subiectum, si quid per ignem inde-

præ-

DE AQUIS DESTILLATIS.

præter phlegma propelli potest, volatile vel salinum, vel sulphureum quiddam exhibere solet, quod phlegmate liquatum, ob maiorem, quam habet, actuitatem, spiritus potius, quam aquæ appellationem sortitur.

Præter humidum adhuc aliud quid requiritur, quod vires quasdam in aquam diffundere cum ea euolantes possit, quibus ipsa medicamentosa redditæ a vulgari aqua differat. Hanc difficulter autem, ob diuersam corporum constitutionem & naturam, vel tacentibus nobis constare potest, non omnia promiscue aquas destillatas largiri posse virtutum suarum participes: cum non semper in volatili parte, haud raro autem in fixiori, vires potissima residéant, quæ ne spiritoſo quidem, nedum aqueo vehiculo, sub vaporum forma euehi queant. De feligenda vero pro aquis destillatis parandis materia, secundo capite distinctius acturi, hic solum in genere notamus, classem *vegetabilium* præ omnibus quam maxime aptam esse, ut ex ea depromantur ipsa; *mineralia* autem omnium minime aquas, præterquam phlegmata vel spiritus fundere; *animalium* ordine medio sese habente.

Ad aquarum destillatarum naturam explicandam, haud immерito earum TEMPERAMENTVM, hoc est, quibusnam gaudeant qualitatibus, considerandum pertinet. Etenim non putandum est, quod aquæ destillatæ absque omni miscela elementorum, principiorumque chimicorum concursu libera habeantur, sicque absolute simplicia corpora existant. Quamuis enim *aqueum* in iis prædominetur principium, a quo etiam nomen sortiuntur, atque insuper ope destillationis depurata, videantur partes componentes penitus amissæ; ob symbolismum tamen, & intimius commercium, quod aquæ cum reliquis principiis intercedit, hæc ab aqua non omnino possunt separari: ut taceamus, parum virtutis medicamentosæ insitum fore aquis destillatis, si principio mere passio constituerentur.

Ignæs ergo & aereas ipsis inesse quasdam particulas, harum subtilitas & levitas non solum, verum etiam aquæ fluxilitas, a flexilitate per calorem aliqualem, hoc est exiguum, siue motum ætheris, tanquam particularum vehiculariarum proueniens, testantur. Si enim omnis penitus calor desiceret, non amplius aqua, sed glacies

DISSERTATIO MEDICO-CHIMICA

cies ex illis fieret. Nam aquis destillatis quoque competit conglaciabilitas, ut ita loquamur, non minus, ac aquis aliis; licet, quae magis spirituose sunt & sulphureæ, v. g. cum ipso spiritu vini paratæ, eo minus in glaciem ope frigoris abire possint & soleant.

De aqueis partibus, quibus maximam partem constant, nullum esse potest dubium; solz ergo restant *terreæ* particulae. Terra enim cum fixius corpus constitutus, super alembicum euelli minus posse videtur. Concedimus quidem, terram per se sibi relictam, absque adiuncto volatili, euolare minus aptam existere; omnino tamen sub aliis principiis volatilis, præsertim quæ subtilior est, in sublime fertur, ut aquæ defluenti intimius immixta, vel soluta potius, per alembicum destillet, calore propellente illam magis cum liquore vniante; donec successu temporis separatione per quietem facta, in sedimento aquarum destillatarum, terra sese sensibis offerat.

Actiuæ quod attinet *chimicorum* principia materialia, ea inesse aquis destillatis, prolixa probatione indigere non putamus, cum partim ipsorum natura, partim harum virtus medicamentosa, illorum præsentiam euincant. Ita *Mercurium* testatur ipsa destillatio per evaporationem fiens. *Sulphur* demonstrat non solum odor, verum etiam, quod in quibusdam copiosiores particulae sulphureæ, quæ ab aqua omnes solute teneri non poterant, manifesto separata habeantur, oleo vel ad superficiem, vel ad fundum aquæ sensu conferente. *Saltum* denique, ob copiosus diliens, sensu gustus quidem in plerisque aquis minus deprehendi potest, licet aliquæ omnino etiam lapidae existant, exemplo aquæ cinamomi; inesse tamen hoc quoque, præter alia constare potest, ex solutione particularum sulphurearum, quas possident ipsæ, cum sulphur absque sale interueniente misceri aquæ neutiquam queat.

Quamuis igitur ad fluiditatem aquarum etiam destillatarum, per superioris dicta, præter humiditatem calor aliquis requiratur, vt per calorem fiunt; tantum tamen abest, ut propterea ipsarum temperamentum dici debeat calidum, ut potius vel sensu tactus iudice æctualis *frigiditas* istis competit. Ad frigiditatem igitur, pro ambientium qualitate variantem, vel sponte quasi se recipiunt, donec omni calore extraneo exspirante, particulae aqueæ, corpusculis oblongioribus, simulque crassioribus, iuxta recentiorum

DE AQUIS DESTILLATIS.

rum sententiam constantes, ad quietem se penitus componant, amissaque flexilitate rigidæ evadant, vt ita earum inter se mobilitas, & aptitudo a se mutuo quaquauerum diuergendi, cestet, hoc est, quando congelantur, seu in glaciem conuertuntur.

Dividuntur nihilominus aquæ destillata respectu effectus, quem in corpore humano edunt, in frigidas & calidas, quatenus calorem sanguinis vel intendunt assumptæ, vel minuant: prout actius spirituosis salino-sulphureis magis vel minus, & potius passiuis gaudent particulis. Omnes quippe aquæ spirituose, aromaticæ, &c. haut immerito vocantur calida; non spirituose autem, ad frigidarum fere classem referuntur. Quemadmodum ab equalitate particularum levitas cunctis quoque competit, & ab eo, quod facile cedant contactui, molles habetur.

Quod substantiam seu consistentiam aquarum destillatarum concernit, ut plurimum tenues atque limpide existunt, cum respectu liquoris contenta pauciora iis infint. Aliquæ tamen hisce copiosioribus gaudent, v.g. sulphureis, oleofisis, aromaticis particulis, vnde ipsæ respectivæ crassiores paulo euadunt, & quasi turbide apparent.

Propter eandem hanc causam, ratione COLORIS quoque, aliqua diuersitas inter eas obseruatur. Etenim vel omni colore desituuntur, cum radii lucis illabentes propter pororum restitudinem, non tam reflectantur, quam transmittantur, ut colore proinde nullum oculis exhibeant, quia sunt maxime pellucide, quas paulo ante limpidas vocauimus; quæ vero aquæ, partes sulphureas habent copiosiores, non penitus solutas, sed subprecipitatas, amissa pelluciditate, albido colorē monstrant. Alius color in aquis destillatis non occurrit, si forsitan viridiolum illum, quem aqua ex Veronica recenti, (testimonia Elsholtzii Debillat. Cur. cap. VII, experim. I, pag. 28.) certa methodo parata offert, non constantem tamen, sed paulatim evanescentem exceperimus.

Quod si ergo color aliquis in aquis destillatis appareat, ut flavescent aut alius, id præter artificis intentionem, ex errore aliquo inter destillandum commisso solet prouenire, & in vitio potius ponitur. Oritur quippe color iste, vel a violentiori igne suggesto, vel affricatus a yasis, per quæ transfluit liquor, non probe mun-

B

datis,



datis, aut si cuprea fuerint, intus stanno minus obductis; vt ita aquæ hoc modo inquinatae, merito reiici debeant.

Meliorem calculum non merentur aquæ destillatae per facum aliquem colore, pro artificis libitu variante, imbutæ ex alembico prostillantes; si scilicet rostro alembici, vel canali intermedio, clanculum imponantur flores, aut alia colorata, quam fraudem *Elsholtzius cap. VI. p. 25. seq.* patefacit. Ob extraneas enim & heterogeneas particulas citius huiusmodi aquæ corrumpuntur, vt plura incommoda taceamus.

Defectum coloris supplere magis potest O D O R: cum enim hic ipse ab exhalationibus proueniat, quæ cum vaporibus mixtae transcedunt alembicum, ea de causa pleræque aquarum odoratæ deprehenduntur. In genere quidem, ob subtilius sulphur, euectum, suaveolentes magis esse consueuerunt; vt fœtor ipsis extraordinarie si accidat, is præcipue vel a prævia putrilagine materia, vel subsequa corruptione ipsius aquæ iam destillatae, vel deinde ab empyreumate contracto, procedit. In specie autem, pro subiectorum diuersitate, plurimum variare solent odores, ita vt aliquæ magis odoratæ existant, aliæ remissius odorem spirent, prout scilicet particulæ sulphureæ volatiles aqueis immersæ diuersimode se habuerint. Etenim materia magis fragrans destillationi subiecta, non potest non odorem quoque fortiorum aquæ imperfiri, cuiusmodi sunt in primis aromata & aromaticæ vel similia; cum vicissim ea, que omni ferme odore destituuntur, aliquando quidem a præparatione aliqualem recipiant, plerumque tamen brevi tempore rursus euangelentem; vt etiam, solius depuratio-
nis causa, si absque alia re addita sola aqua, pluialis v.gr. vel alia, destilletur, odoris defectum in illa nemo mirabitur.

S A P O R etiam aquarum destillatarum haud vniusmodi deprehenditur. Pleræque, eo quod particulae salinæ sapidae fixiores in fundo remanferint, neque cum vaporibus per alembicum transferint, adeoque vel aquis non infint, vel nimia humidi quantitate diffusa sic diluantur, vt papillas linguae nerueas minus possint afficere; absque sapore eminenti existunt, & ferme sunt insipidae: Id quod vel aquæ ex maxime sapidis amaris para-
tæ testantur, quæ non amaræ, sed potius dulces obseruantur.

Quod si

DE AQUIS DESTILLATIS.

Quodsi autem sub sulphurearum volatilium vinculo, particulae quædam salinæ subtiliores in quibusdam euolent, omnino etiam in hisce *positiva dulcedo* aliqua, aliaue sapiditas sese potest exerere; quæ ipsa tamen potius particulis oleosis sapidis commixtis debet, quod exemplo aquarum cinamomi, & anisi, in primis verum est.

Occurrunt præterea quædam aquæ *acidula*, hoc est acidum, saporem exhibentes, siue quod loco aqua menstruum acidum vel ipsum acetum fuerit adhibitum; siue quod per fermentationem præviæ partes salinæ acidæ cum reliquis magis euolutæ & reclusæ sint, ut in aqua fragorum hoc modo parata patet.

Denique *acres* etiam quædam proflillant, etiam si subiectum ipsum antea nullam acridinem exhibuerit. De aromaticis quidem, ob copiosum sal volatile oleosum manifestam acrimoniam offerentibus, nullum esse potest dubium: quum oleum acre cum aqua confusum eidem hanc qualitatem impertiat, ceu in aqua caryophyllorum aromaticorum gustus sensu potest percipi. Quod autem terrea quoque & insipida visa quandoque acrem aquam possint elargiri; id aqua hepaticæ nobilis, peculiari modo destillata, cauendo, ne particulæ acres copiose menstruo nimis dispergantur, manifesto probat.

Præter hactenus dicta, plures alia occurruunt aquarum destillatarum inter se differentiæ, quas ad earum naturam explicandam, omnino hic loci recensendis arbitramur. Dividuntur ergo *ratione compositionis*, in simplices & compositas. Illæ ex uno subiecto, hæc e pluribus coniunctis parantur.

Ratione *menstrui*, alia $\alpha.$) e succo proprio destillantur, absque addito liquore alio, alia $\beta.$) cum succo quodam extraneo materiae destillandæ superfuso, eodemque modo citra fermentationem, & solum expresso, modo fermentato confiunt, alia $\gamma.$) denique $\gamma.$) addita aqua. Istarum exempla præbent aquæ cum succo cydoniorum, vel borraginis, &c. Illarum aquæ *cum vino*, & harum aquæ *sine vino* destillatae, adsciscentes hæc epitheta, ad differentiam in præscriptione extricandam. Cum enim ex uno subiecto, interdum duplex vel triplex aqua in officinis prostet, neque tamen promiscue quibuslibet affectibus curandis, qualibet earum

DISSERTATIO MEDICO - CHIMICA

12
sit proficia , quin potius damnum aliquando haud leue inde que-
at accidere , si error hoc modo committatur : plurimum certe in-
terest , diuersas aquas probe a se inuicem distinxisse .

Ratione preparationis , aliæ prævia fermentatione , aliæ absque
ea elaborantur . Ex quo , non minus ac in præcedenti differentia ,
haud parua diuersitas resultat , vt scilicet aliæ sint spirituosa , ma-
gioremque actiuitatem habeant ; aliæ non spirituosa , vbi maior
aqua quantitas , vires actiua magis diffundit & temperat . Ta-
cemos *Modum destillandi* diuersum , secundum quem aliqua per-
ascensum , aliqua per descensum , & illa quidem vel per vesicam ,
vel per balneum maris &c. impetrantur , de quo in sequenti capi-
te agendum .

Maxima tandem diuersitas , *natione virium & usus* obseruatur :
quia pro subiectis diuersis e quibus parantur , admodum varie
funt aquæ destillatae . Pollent quippe viribus simplicium suorum ,
quæ quidem super alembicum euehi queunt , vt hoc ipso momen-
to pro meris & inertibus herbarum sudoribus neutiquam haberi
debeant . Quandoquidem vero infra vires & usum aquarum
destillatarum distincte exponemus , hoc loco prolixiorē enara-
tionem haud immerito omitimus .

CAPUT II.

*De aquarum destillatarum
præparatione.*

 Vm aquarum destillatarum præparatio ad eam operatio-
nem Chimicam pertineat , quæ destillatio vocatur ; ad eo
melius perlustrandas omnes huius circumstantias , primo ,
quænam antecedant eam ? Deinde , in quonam ipsa præparatio
consistat , & quomodo peragatur ? Tertio denique , quænam con-
sequantur eam , breuiter exponemus .

Ad ANTECEDENTIA in primis pertinet SELECTVS MATE-
RIA ex qua , sive subiecti , quod ad aquas destillatas impetrandas
præ reliquis recipiendum est . Illud vero principaliter vegetabile
regnum suggere , minus principaliter animale , minime omnium
mine-

DE AQUIS DESTILLATIS.

minerale, iam superiore capite monitum fuit. Præ aliis omnibus
igitur ordo, quem *vegetabilium regnum* appellant, ad aquas destil-
latas largiendas maxime accommodatus est: quod eiusdem cor-
pora sulphur & sal volatile tenerius, nec usque adeo profunde re-
liquis principiis immersum & illigatum exhibeant, vnde facilius
per destillationem via humida deponi, & in aquam se diffundere posint, vt certe hæc ipsa classis rerum vel maxime odorifera
deprehenditur.

Quum autem amplissimum existat Regnum vegetabile,
ipsaque in eo occurrentia eorumque partes non uno modo sese ha-
beant, quin alia præ aliis aptiora sint ad aquas destillandas; id
circo non omnia promiscue pro hisce parandis, adhibentur, sed
omnino etiam ex his opus est selectu. Eliguntur ergo ante omnia,
qua sunt magis *officinalia*, hoc est, qua pro vsu medico in officinis
Pharmaceuticis assertuari solent ac debent, omissis peregrinis,
rarioribus & carioribus, nisi forte experimenti vel curiositatis gra-
tia, ex his quoque interdum aquam prolicere libuerit.

Cæterum trifariam illa se habere potissimum obseruantur ve-
getabilia, qua destillationi aquarum subiicienda. Aut enim (1.)
pars volatile in ipsis magis eminet, cuiusmodi sunt aromaticæ in-
primis & odorata, vt cinnamonum, pulegium, mentha, melissa,
maiorana, flores rosarum & plura alia, ex quibus aquæ destillan-
do impetratæ omnino præstantiores, maiorique virtute gauden-
tes iudicanda sunt. Aut (2.) fixæ magis & inodora sunt, quibus
accenserii possunt insipida & terrea, vt plantago, tormentilla, &c.
mucilaginosa quoque, v. g. althæa, symphytum, imo acida quo-
que, vt acetosa, acetosella; quippe quorum singula nullas vel
admodum paucas vires importunt aquis suis, rarius propterea
parandis. Aut denique (3.) quadam, inter hæc & illa in medio
quasi constituta, *sal alcalinum vel nitrosum* possident, diuisis magis
inter fixum & volatile natura viribus; quarum exempla præbent
plantæ in primis sapidæ, amara, acresque, vt absinthium, car-
diuus benedictus, scordium, centaurium minus, fumaria, &c.
de quibus licet non adeo actiua aquæ prodeant, vt ex prima classe,
non tamen penitus virtutibus suis destituantur.

Sed & præterea specialiori selectu opus est inter partes planta-

rum, cum virtus volatilis & præcipua modo in hac, modo in ista magis emineat. Ita in plerisque *flores*, uti præstantissimum cuiuslibet rei statum ac decorem notant, magisque fere colore odore ac elegantia superbiunt, præ omnibus plantarum partibus reliquis; sic ad aquas destillatas parandas, si laudato modo se habuerint, frequentissime expetuntur & impenduntur. Horum locum quandoque etiam *summitates* occupant, quod tenerius sulphur & sal volatile, in his non minus ac illis, inesse deprehendatur, id quod præcipue summitates pini testantur.

Quod si vero in herbis sive foliis, maior virtus quam in floribus, vel æqualis inesse obseruetur, vt in aliquibus naturæ variatio visuvenit; tum omnino requiritur, vt ipsa *berba sive folia* eiusdem, absque floribus, vel cum hisce, recipiatur. Neque diuersa interdum ratio *radicum* esse solet, cum in his quandoque vires præstantissimæ resideant, quæ in reliquis partibus non inueniuntur. Imo *cortices* in quibusdam magis feliguntur, quod vel solo cinamomi cortice loco exempli recensito verum est.

Semina autem, sicut frequentius pro oleis, ita rarius pro aquis destillandis impenduntur, præterquam quod in ipsis oleis parandis, quasi secundario, & aliud agendo, etiam aqua acquiratur. *Fructus* tamen aliqui, v.g. cerasa nigra cum nucleis contusa, baccæ alkekengi, &c. ad aquas ex ipsis destillandas accommodati sunt. Omnia vero minime *sauces* huic visui inserviunt, quippe qui potius a reliquis separandi sunt & abiiciendi, cum parum virtutis possideant.

Ex *animalibus* patice admodum aquæ destillantur, cum potius pro parandis spiritibus, tum ipsa *integra*, tum eorum partes, in usum veniant. Licet enim quædam ipsorum ad aquas compositas recipiantur; quia tamen absque intimiori solutione, quæ quidem spiritus largitur, præter partem serosam aqueam, parum vel nihil virium de se præbent: a reliquis ingredientibus ad destillationem aptioribus potissima, si quæ inest, virtus arcessenda; vt proinde, si unicum forsan *causticum* exceperimus, frustra fere aquis parandis animalia indantur.

Tolerantur tamen in officinis e *simplicibus* aqua seri lactis caprini, spermatis ranarum, mellis, & albuminis ouorum, quibus acce-

DE AQUIS DESTILLATIS.

15

accedit aqua florum omnium, cum & in stercore vis nitrofa absterciua emineat. E *compositis* laudantur aqua cordis cerui, typharum cerui, seu cornuum tenellorum, aqua hirundinum cum castoreo, aqua pulmonum vituli, quæ præ aliis nomen suum inde mutuantur.

Denique e *mineralibus* & *metallis*, nullæ penitus in officinis prostant, & quamvis ab aliquibus aurum & argentum addi aquis destillandis iubeatur, istud tamen iamdudum est explosum, & ipsa quoque sana ratio dictitat, quod nullæ penitus vires aquis destillatis inde possint communicari. Quod autem e mineralibus *alumen* & *vitriolum* in primis sub destillationis initium aquam offerunt, illa potius *pblegma* titulum meretur, quam aquæ destillata nomen tueri potest; cum nullum aliud officium obire queat, quam quod est aquæ communis simplicis, & præterea acceleratam fere corruptionem subeat.

Ex hac tenus dictis facile constare putamus, quomodo selectus pro aquis destillandis institui debeat, cum non omnia vñi necessario quadrant, etiam quæ eiusdem sunt ordinis. Ulterius ergo requiritur *SEPARATIO VITRIVM* partium ab inutilibus, vt v.g. flores & summitates, nec non folia in quibusdam, a caulinibus, vel reliquæ partes ab aliis secernantur, & pro destillatione aquæ seorsim adhibeantur.

Vt intimius partes actinæ aquo vehiculo communicari possint, *COMMINTIO* etiam in aliquibus necessaria est, vt, concisa & contusa species destillationi subiiciantur; licet in aliis tenerioribus etiam citra hanc optime destillatio procedat. In aliis, vbi humidum copiosius citiore aquæ corruptionem minatur, lenis *EXSICCATIO* recentium prærequiritur, vt marcescant nonnihil, antequam vasis indantur.

Ulterius *INFUSIO* præstanda est cum menstruo conuenienti, aquo vel alio, quale intentio postulauerit; excepto casu, vbi per se citra additum menstruum, ex humido proprio abundantiore, sit destillatio, vt e fragis, cerasis nigris, rosis ipsis certo modo habetur.

Spectat ergo hoc selectus quoque ipsius *menstrui*, siue liquoris ad aquarum destillationem adhibendi, quod plerumque huius varia-



varia^{tio} vires etiam variare soleat. Communissime autem, nisi per se cuiusdam subiecti fiat destillatio, vel ipsa res destillanda, iamdu^m liquidam seu humidam formam habeat, aqua simplex fontana, vel putealis, vel fluvialis, prout haberi potest, affunditur. Interdu^m etiam pluialis, vel aqua niuis adhibetur, quantum tamen pro maiori depuratione etiam per se destillatio instituitur, vt aquas iamdu^m destillatas menstrui vicem subeuntes taceamus.

Loco aqua^x interdu^m alijs liquor vel succus pro menstruo affunditur, & quidem haud infreueenter vinum, quod est succus vuarum fermentatus. Quemadmodum autem, vinum, iamdu^m actiuoribus præ aqua gaudet principiis, per fermentationem scilicet magis reclusis & subtilisatis; ita etiam aqua^x cum vino destillata, vires praestantiores possident. Magis enim spirituof^x, aquis cum aqua mera & sine vino destillatis, & medix quasi inter ipsos spiritus & aquas esse obseruantur; nisi forsan adhibita fermentatio, vel alijs vino analogus liquor additus, similis conditionis ipsas reddiderit. Ita vinum emulatur hydromel, alijque succi dulces fermentati, ciuusmodi cerevisia quoque esse solet, tum hordeacea tum triticea; quæ ipsa quidem in officinis Pharmaceuticis rarius, sed magis apud vulgus in usu est, & a mulierculis interdu^m cuiusdam aqua^x destillationi impenditur. Exemplum tamen extat in *Pharmacopœia Londonensis*, pag. 83. vbi ad aquam petasitidis compositam parandam cerevisia non lupulata generosa recipi iubetur.

Quandoque succus proprius expressus, citra fermentationem, subiecto destillando superfunditur; aliquando etiam alienus, v. g. succus cydoniorum, qui ad aquam cinamomi cydoniatam parandam, e pomis cydoniorum exprimitur & adhibetur, vt succum citri & plures alios taceamus.

Aliquibus acetum loco menstrui adiicitur, sed paucis, & quidem magis compositis. Sicingreditur acetum, cum succis alijs, aquam cordialem Saxoniam frigidam; ad destillandam vero aquam prophylacticam Syluii, *Prax. Med. lib. I. cap. 28. §. 31. p. m. 231.* descripsit, acetum vini destillatum, absque alio quoconque menstruo, speciebus affunditur.

Men-

DE AQUIS DESTILLATIS.

17

Menstruum vero maxime spirituofum & actiuum, ipse scilicet *spiritus vini*, licet haud raro eodem modo, atque haec tenus recensita, rebus destillandis infundatur, atque liquor inde prostillans aqua huius vel illius, v.g. *apoplecticæ*, nomen gerat; haud inficiandum tamen, vt & supra iam monitum, aqua titulum improprie magis huiusmodi liquores sustinere, cum potius spiritus vocari mereantur.

Electio, quod requirebatur, menstruo, eiusdem *quantitas* etiam consideranda venit: siquidem vel definito & espresso pondere aut mensura, vel magis indefinite, illud recipitur. *Indeterminata* magis *quantitas* obseruatur in minus actiuus, minusque pretiosis menstruis, & quorum copia maior facile habetur: vt in primis aqua, aliquando etiam vini, tantum fere additur, quantum satis est ad destillationem absque alio in commodo, vel damno, perficiendam.

Nonnunquam autem *maior* *quantitas* horum addendorum usurpat, si præcipue partes volatiles salino-sulphureæ eminenteriores & copiosiores subiecto destillando insint, cum aqua primo fere prolecta transuolantes. *Minor* vero *quantitas* adhibetur, vbi fixioribus istæ profundius immersæ maiorem dilutionem minus ferunt, vt concentratæ fere magis habeantur. Sicut etiam tum pro hocce scopo interdum, tum si menstruum actiuus aut pretiosius fuerit, explicita mensura pondusue designatur, quæ alias frequenter prudentis & exercitati destillatoris iudicio relinquuntur.

Infusionem aliquando statim ipsa destillatio sequitur; haud raro tamen vterius hanc præcedit *MACERATIO* per aliquod temporis spatium, v.g. aliquot dierum vel horarum, aut solum viii noctis. Imo nonnunquam *DIGESTIO* præcipitur, vt menstruum vndique poros subiecti destillandi intimius peruadat, & vires melius sic postea deponantur.

FERMENTATIO quoque nonnunquam præmittitur, quando aqua magis spirituofæ expetuntur. Quamuis enim proprie spiritibus potius fermentatio competat, in primis sulphureis ac inflammabilibus, qui absque hac clave e centro mixtorum educi nequeunt; cum tamen, citra liquoris imperati bis vel ter minimum repetitam destillationem, quam rectificationem vocant, pars aquosa etiam in his plurimum præcellat, diffusis maxime per hanc particulis sulphureis resolutis subtilibus spirituofis, vt propterea quoque flammarum concipere liquor ipse non possit; facile con-

C

stabit



18 DISSERTATIO MEDICO - CHIMICA

stabit, aquam hoc modo paratam, non minus ac illas, quas cum vino confici paulo ante recensuimus, Aquæ Destillatæ titulum, optimo iure tueri.

Ad fermentationem vero producendam, vel promouendam, addere solent vel fermentum panificium, vel ipsas quoque vini feces aut cereuisia; quippe in quibus motus ille intestinus particularum salino-sulphurearum iamduum inchoatus, ad alias similes & dispositas particulas facilius sepe potest diffundere. Quod enim attinet adiectionem salis communis, & tartari vini puluerisati, nec illa quidem penitus pro hoc scopo improbanda videatur; attamen hæc ipsa a nonnullis pro oleis destillatis æthereis liberandis, & copiosius impetrandis magis impendi solent. Quid? quod pro differenda, sub æstuio calore vel alia remora, longius destillatione, ne res destillanda interim corrumpatur, nullis usibus demum futura, ad conseruationem, & quasi balsamationem, v. g. floribus rosarum recentibus concisis & contusis sal commune admisceri, & in olla ad commodum tempus massa destillanda asseruari solet: vbi itidem aliqua quasi fermentatio, licet fere incompleta magis, occurrit.

In aliis perinde fuerit, sive ipsum vinum, tanquam menstruum iam fermentatum, sive alium liquorem, adhuc cum subiecto destillando fermentandum, assumamus: quum aqua vtrolibet modo prodiens, actiuior, magisque spirituosa acquiratur. Nihilominus probe obseruandum, ne loco fermentationis putruginem vel situm contrahat, penitusque materia corrumpatur, aquam potius fætentem postea isthoc vitio præbens, id quod in quibusdam admodum facile solet contingere.

Neque tamen etiam congruum est, omnes promiscue aquas prævia fermentatione conficere, quemadmodum nec omnes cum vino destillandæ veniunt. In affectibus enim quamplurimis usus huiusmodi aquarum spirituofarum damnosus potius, & noxius obseruatur; & merito tunc præferuntur, quæ sine vino sola cum aqua destillatæ fuere.

Quam paulo ante non ex instituto, sed solum præter intentionem artificis fientem, reieciimus PVTREFACTIONEM, non penitus ex aquarum destillatarum antecedentibus excludendam arbitramur, cum hac non præmissa, in certo casu, minus

DE AQUIS DESTILLATIS.

19

minus ex voto succedita destillatio. Aliquando enim opere putrefactionis in liquorem prius conuertitur res destillanda, ut in fragorum aqua l. a. paranda cernimus. Sic si sperma tanarum, pro aqua eiusdem impetranda, destillationi fuerit subiiciendum, ne irrita fiat operatio, in tabum quasi resoluendum ipsum est, ut amissa sua mucinosa visciditate, quæ impedimento erat, ad ignis impulsu vapores roridos libere possit emittere. Id ipsum vero leui opera, sed mora temporis condigna vñu venit, si in cella subterranea suspensum in sacco spontaneum subeat deliquium; ut vel hæc quoque apparatio, inter ea, quæ operationem ipsam præcedunt, referri mereatur.

Ipsam OPERATIONEM quod attinet, qua aquæ destillatæ acquiruntur, vel nominis etymon testatur, *destillationem* eam vocari, quæ quomodo se habeat, iam consideratu opus est. Supra fuit monitum, destillationem quasi deorsum-stillationem dici, quod liquida non minus ac solida, nisi aliquo corpore alio stente prohibeantur, deorsum ferantur: liquida tamen promptius delabuntur, quod admodum mobiles habeant particulas, propter quas facilime diffundunt, & per declivia decurrunt.

Quicquid autem deorsum labitur, illud prius vel per natum, vel artem, in superiore aliquo loco constitutum sit oportet. Idcirco etiam *destillationem sine igne* vocant, quando per chartam bibulam seu filtrum liquor aliquis transmittitur, infusus quippe, & per ipsius poros transfudans, ac in subiectum vas guttatum descendens. Ita *Gebser Arabs lib. I. Part. IV. cap. 49. p. 94.* sub destillationis titulo, eius etiam, quæ sit per filtrum, meminit. Hæc vero, vbi de aquis destillatis sermo est, neutiquam nobis intelligitur: cum ea potius pro his parandis inseruat, quam commode vaporum aqueorum, aliorumque, per ignem propulsorum, & frigore iterum condensatorum, collectionem dicere possumus.

Hæc proprie dicta destillatio, *triplex* apud Chimicos in vñu est. Licet enim in eo omnes conueniant, quod guttæ iterum condensata deorsum fluant, atque sic excipientur in vase supposito; nihil minus tamen, ob diuersam vaporum rarefactorum propulsionem, haud leuis differentia intercedit. Vna est, quando sursum prius eleuantur ex inferiore loco vapores e re destillanda per calorem propulsi, in superioribus autem vasorum parietibus cohibiti, roride-

C 2

con-

concrescunt in guttulas, atque per ista loca declinua delabuntur; quæ destillatio *per ascensum* vocata, præ reliquis speciebus est præcipua, & maxime ad aquas destillandas accommodata.

Aliens huic recensitæ e diametro quasi opposita est, & destillatio *per descensum* audit: quando vapores resoluti non sursum, sed potius deorsum, ope ignis protruduntur; vbi subiectum destillationis superius ponitur, descendentes autem halitus itidem parietibus vasorum suppositorum coercentur & condensantur, donec in fundo in aquam destillatam coeant. *Tertia* denique, inter utramque recensitam est magis media, vaporibus vel nebulis resolutis, magis oblique ad latus, & qua porta datur, emigrantibus; quæ pro spiritibus potius, quam pro aquis destillandis est congrua, fitque *per retoriam*.

Destillatio DESCENSORIA, cum aliquando ad aquam rosarum parandam, a mulierculis in usum vocetur, quomodo instituatur fuerit exponendum. Breuiter totum procedendi modum, *B. Rofinus in Chymia in A. F. red. Libr. III. sect. I. Art. 1. c. 3. p. 126.* describit. Rosas incarnatas recentes q. v. *inquit*, reconde in vas terreum, eiusque collum oblongum inverte, ut deorsum vergat, & per laminam ferream transeat in furno assabre facto. Carbonibus incensis cinge basin vasim, sic sensim aqua in vas suppositum stillabit.

Subiungit vero etiam compendium, a mulierculis fieri solitum: quod nimirum *ollam* terream maiusculam operiant & obducant linneo, huic insternant rosas recentes, & desuper accommodent patellam ferream vel cupream, carbonibus testam. Cum incatescent rosas, *air*, exsudant liquorem, qui collectus in olla odorata fragrantia matrem refert. Id saltim hic monendum, loco ollæ terre commodius fere *mortarium* æneum maius, aliudque vas simile metallicum adhiberi, & in aquam frigidam, ad iuuandam vaporum intus condensationem, colloccari posse. Cumque hæc destillatio sine addito liquore fiat, humiditas autem rosis recentibus pauca insit, neque maior florum copia simul ac semel ad destillandum imponi debeat, per iterandas vices frequentanda, seu repetenda est operatio, donec sufficiens aquæ quantitas acquiratur.

Vt iuxta rarer est per descensum aquas destillandi modus, ita frequentissimus longe obseruatur *PER ASCENSUM*, qui per vaporum aqueorum in suo vase elevationem procedit, *ceu Gobet c. l.* destillatio-

lationem definit. Quz igitur circa hanc quoque obseruanda sint,
notabimus.

Principum vas vocatur *Alembicus*, cuius iam *Dioscorides lib. V^o*
cap. 110. mentionem facit, appellatque *αλεμβικα* fol. m. 295. 2. Est autem
alembicus instrumentum concauum, instar pilei vel galeæ, pro co-
hibendis & condensandis vaporibus euolantibus accommodatum,
cuius similitudinis ergo Germanis dicitur *ein Hut / ein Heim*, im-
ponitur quippe, ad horum fere modulum, vasi cuidam alteri, ma-
teriam destillandam in se continenti. Capitellum quoque idem
nonnullis audit.

Hoc instrumentum pro aquis quidem destillandis tubo est in-
structum longiore, velut rostro aliquo, quem aliqui nasum nun-
cupant, per quem aqua e vaporibus auncupatis condensatisque
confusus promanat, destillatque in vas recipiens suppositum.
Melius autem hic tubus ad coronam intus occurrentem, sive pro-
minentem ambitum, ponitur, quam si absque hoc, ad superiorem
pilei partem magis complanatam prodeat.

Alterum vas destillatorium, cui alembicus imponitur, est ven-
tricosum & rotundum, e cupro in primis fabrefactum, propter si-
militudinem *cucurbitæ* nomen sustinens; vel si paulo amplior ven-
ter assurgat, etiam *vesica* appellatur, & materiam destillationi sub-
iectam in se continet. Cucurbita ad aquas destillandas adhibetur
in primis vitrea, hinc etiam ex alia materia confecta, si minor solum
quantitas rei destillanda habeatur, ut in aqua fragorum paranda,
vel etiam si igne magis mediato destillationem perficere libuerit;
cum e contrario vesica destillationibus maioribus, vel etiam igne
magis immediato peragendis, inferuiat.

Inditur ergo alterutri horum vasorum, *vesicæ* puta vel cucur-
bitæ, materia, ex qua aqua destillanda est, eique pro re nata suffici-
ens quantitas aquæ, vini, alteriusue liquoris affunditur; cauendo
solum, ne ad summum usque nimis repleatur, sed spatium quad-
dam vacuum concedatur, pro rarefactione requisitum. Desuper
imponitur pileus sive alembicus, & partim ut hic ipse firmetur,
partim ne quid exhalando in auras abeat, iuncturæ occluduntur.

Communissimus autem est modus, commissuras alembici cum
cucurbita vel vesica claudendi, si iis telæ lineæ, vel fasciæ charta-
ceæ oblongæ, pulte ex farina secalina cum aqua subacta oblitæ, ob-

ducantur. Neque enim farinam lini, post olei expressionem residuam, quam pro eodem scopo insigniter laudat *le Moretus in Chimia Medico-Phys. cap. VI. p. 27.* præstantiorem vsu deprehendimus. Farina autem triticea quoniam siccior est, neque aquam, nisi feruida, affusa fuerit, intimius admitrit, pro luto extemporaneo cum frigida parando, inutilis nobis iudicatur. Tacemus lora ex intestinis, vel vesicis bubulis parata, aqua emollita iuncturis applicanda, aliaque, quæ ab autoribus passim commendantur.

Vesica vel cucurbita alembico sic coniuncta ponitur in *furnum destillatorium*, vt commodius destillatio procedat: & illa quidem, vasi cuidam alteri non immittitur, sed immediate igni exponitur; hæc vero catino, vel magis aheno, pro vario modo mediate ignem sugerendi, inditur. Solet etiam interdum vesica solum in foco culinario super tripodem ferreum locari, & absque peculiari furno ignis substrui; licet sic quoque magis consulto circum circa lateres cocti disponantur, ne ignis magis se diffundat, vel calor nimis dispergatur, vt vel hac ratione furnum quasi amuletur.

Cum destillatio aquarum per evaporationem fiat, vapores non nisi per calorem excitentur, nullus vero calor absque igne habetur; exinde sequitur, ad hanc operationem peragendam, *ignem esse* necessarium. Et ipsi quidem Solis radii ab aliquibus commendantur, tum directe ad cucurbitam ipsis expositam admissi, tum speculo in primis concavo reflexi: quem modum *Libanins Comm. Alchem. P. I. lib. IV. c. 14. p. 317.* destillationem per parabolam in Sole vocat. Videtur tamen curiositati potius, quam utilitati peculiari hic ipse modus litare, vt coniuncta taceamus incommoda, vt propterea minus in vsu sit.

Alii fimo equino aliquo utuntur, in quo cucurbitam sepeliunt, vt istius calore propter motum intestinum particularum se exerente, vapores e materia destillanda eleuentur. Quandoque etiam ad augendum calorem addere & remiscere fimo solent calcem viuam. At cum melius & delicatius fieri possit absque istis destillationi, hunc modum libenter prætermittimus.

Ipse ergo ignis accensus, cuiusmodi in culinis adhibemus, diversimode licet modificatus, præcipuum ad aquas destillandas instrumentum actuum constituit. Hic enim a natura suspectatus, & per artem excitatus, per eandem etiam, prout necessitas operationum

tionum Chimicarum exegerit, plurimis modis variati potest, ut pro diuersa huius administratione diuersus quoque destillationis modus consurgat.

Difserit quippe ignis *primo ratione pabuli*, quo alitur & conseruat: quod in genere quidem semper esse debet sulphureum, in specie tamen in primis vel solidum, vel liquidum habetur. Curiosæ hic memorandæ sunt destillationes, quæ in furnulis in museo super mensam positis ab aliquibus instituuntur, lampadis ellychnio flam-mam oleo oliuarium alitam, & inde oriundum calorem submini-strante. Subtilius adhuc ignis pabulum ipse spiritus vini accen-sus pro simili scopo largitur.

Recensitis magis proficet, & hinc visitatores sunt aquarum de-stillationes, quæ copiam maiorem largiuntur, prout ipsarum usus exigit. Ad istas autem apud vulgus haud infreuenter flamma ignis a lignis accensis adhibetur, praesertim in destillationibus maioribus. Verum enim vero præter alia incommoda, ipse fumus mole-stiam citat satis grauem; quare, ut istis supersedere liceat, optime omnium carbonibus accensis, siue pruni candardibus, calor ne-cessarius furno suggeritur.

Difserit ignis etiam *secundo ratione admissionis* ad vas, materiam destillandam continens, vt alijs dicatur mediatus, quando per aliud corpus intermedium excalefactum calor ipsius ad rem destillandam peruenit, alijs immediatus, citra corpus aliud interposu-tum accedens. Et mediatus quidem iterum est varius, pro variis scilicet rebus interponi solitus: inde enim dici solet vel vuidus vel siccus.

Vuidus ignis dicitur, quando per aquam, vel vaporem aquæ, ca-lor ignis subiectum destillandum afficit. Vocatur alias hic destillan-di modus balneum maris, vel etiam balneum Mariz: quum cucur-bitæ cum subiecto destillando aquæ immegritur, quæ postea igne subdito calefacta intus subiectum rarefacit & propellit. Quando au-tem non tam submergitur, quam super aquam suspenditur cucur-bitæ, vt vapores solum calidi ab aqua eleuati fundum huius ambi-ant, & similem effectum producant, balneum roris, vel balneum vaporis seu vaporosum etiam audit.

Ignis mediatus *siccus* est, quando in catino aut cucurbita vel cineribus, vel arena, vel etiam limatura ferri, igne supposito exca-lefactis

DISSERTATIO MEDICO-CHIMICA

24

Iefactis circumdata, destillatio procedit. Quæ per balneum destillantur aquæ, omni carent empyreumate, & elegantiores habentur, & idcirco reliquis nonnullorum sententia præferuntur; sed propter ignem diutius continuandum, aliaque incommoda, longus, magisque sumtuosus, ac tædio plenus hic ipse modus existit. Nec ignis mediatus siccus pro aquis destillandis satis aptus habetur, cum maior materiæ copia destillationi subiici hoc modo minus queat. Visstatissimus ergo relinquitur destillandi modus, per vesicam igni immediato superpositam, ut iam supra monitum: quum hac viatantum aquæ vna destillatione impetrari possit, quantum repetitis aliquot aliis vix acquiritur.

Taceamus variationem ignis *ratione graduum*: cum volatiliora leniorem, fixiora fortiora respectiue ignem exposcant ad vapores euolutos commode propellendos. Id solum monemus, immediatum ignem in destillatione per vesicam, fortiorum quidem esse mediatum; interim tamen circa eundem cauto moderamine opus esse, ne excedens potius totam operationem cassam faciat. Siquidem alias vel nimis intus ebulliendo non tam vapores in alembicum, quam tota massa confusa oras vesicas transfilans ascendit, & coloratus liquor in recipiens defluit feruidus, cum huius rupturæ periculo, si evitro fuerit; aut si tubus inde obstruatur, ob rarefactionem nimiam, cum impetu maximo, & haud leui destillatoris adstantis periculo, pileus deicitur; veletiam in fundo se affigunt particulae, motu velociori minus obsequæ, indidemque amburuntur, & fœtidis halitus aquam, (si qua iam ex voto obtenta est,) viant: quod vocant *epuraculum* contrahere, quod prouido ignis regimine l. a. præcaendum.

Vitanda ergo iaprimis & hoc loco est festinatio, quæ Philosophis per ignem dicitur esse a Diabolo; & continuandus ignis magis & quabilis, in principio destillationis non minus, ac in medio & usque ad illius finem, per vices nouis carbonibus in absurorum locum repositis. Vbi notabile est, carbones medie magnitudinis, præ maioribus vel minoribus, feliciorem facere destillationem. Nam cum per ipsorum superficiem ignis iisdem inhæreat, maiores autem carbones minorem respectiue superficiem, & vice versa minores maiorem exhibeant, facile constare potest, quod, paulo majoribus carbonibus in foco accensis, minor ignis, quam qui ad destilla-



stillationem sufficit, & e contrario pluribus minoribus simul inflammatis, fortior, quam pars est, excitetur, ut paulo ante memorata damna inde oriri queant: priora quidem in principio magis, vas adhuc repletioribus; posterius vero, scilicet empyreuma, post inchoatam aliquandiu stillationem, fere metuendum est.

Quemadmodum alias operationes chimicæ σύνεσιν νοήσιμην exhibent, ita non minus etiam in aquarum stillatione tum hæc, tum illa visitur. Διάρεστι enim, seu separatio partium utilium ab inutilibus, sit in primis rarefactione humidi, dum in vapores hoc ipsum resolutur, & fixioribus in fundo relicitis partibus in alembicum propellitur. Ibi vero noua σύνεσις opus est, ut particula rarefactæ, & atomorum instar dispersæ, iterum coeant & vniuantur. Cum igitur sibi opponantur vtraque, haud frustra vtriusque causam oppositam requiri constat.

Sicut autem rarefactionis & evaporationis causa est calor, ignis: ita e contrario rarefactorum vaporum condensationem in aquam frigus efficit. Et primo quidem aliqualem refrigerationem aer ambiens præbet, cum alembicus supernum locum tenens, aeri expositus, & ab igne sit remotior, adeoque minor ibi calor, quam inferius, vbi continuo materiam agitat & impellit ignis. Hinc est, quod videmus, e cucurbita in catino arenario posita, citra aliud refrigerium, quam quod aer prestat, stillationem probe procedere. Cum vero ob aeris tenuitatem refrigeratio minor longe, quam requirebatur, ac imperfecta solum fiat, & propterea continuato calore, partes volatiles actiuz pauciores facile perdantur & auolent, ut relicta aqua viribus non usque adeo sit foeta, verum corruptioni serius ocyus obnoxia euadat; proinde melius refrigerium excogitandum fuit, ab aqua in primis imperandum.

Tripli autem modo aquam frigidam, pro refrigeratione & condensatione vaporum feruidorum, solent applicare. Vel enim (1.) in superiori loco circa alembicum, catinum frigida repleta collocant; vel (2.) in loco medio inter alembicum & vas recipiens constituitur dolium cum aqua, per quod transit tubus stanneus, vel zneus intus obductus, ad aquam in transitu refrigerandam; dolium vero commodius oualem, quam cylindricam figuram habere deberet. Vel denique (3.) circa fundum ipsius recipientis refrigerium applicatur, qui modus cumprimit in stillatione per de-

scensum locum inuenit, itemque si vitreus alembicus citra tubum metallicum intermedium adhibendus fuerit, ne admissa frigida frangatur. Tacemus speciem refrigerationis magis temporarię vel subitanę, ad temperandum ferorem fortiorum materiae in vesica conclusa nūm ebulientis, quę fit linteo frigida imbuto super alembicum ponendo, & mox iterum renouando, donec ignis subitus nonnihil minuatur vel subtrahatur.

Aqua pro refrigeratione præ aliis in primis putealis vel fontana eligenda, quippe frigidior & purior, quę si evicino fonte perenii ad destillationis locum commode deriuari possit, vt continuo noua affluat, commodissimam facit destillationem, tantundem iterum dimittendo, quantum per vices accedit. Isthac autem commoditas quum rarius vsuueniat, aqua vero vasi refrigeratorio prius infusa calidiorum vaporum appulsi ipsa quoque successiue incalefacit; per vices iterum exhaurienda, & frigida tepida locus explendus est, quoad usque peracta sit destillatio.

Absolutius denique ipsa, de qua sermo est, operatio collectione aquæ destillantis in vas recipiens suppositum, quod commodissime vitreum, v.g. lagena vel cucurbita, esse solet: cum ob huius pelluciditatem, guttarum lapsus, copia aquæ iam destillata, & alia phænomena facilius oculis usurpari, & iuxta hæc ipsius destillationis moderamen reputari possit. Mutandum autem interdum est recipiens, vt aqua primaria nobilior viriumque laudabiliorum seorsim accipiatur, quod posterior secundaria magis phlegmatica esse soleat, ipsa tamen itidem ad suos usus seorsim excienda. Interdum etiam, quod primum omnium prodit phlegma crudius, antequam ipsa destillatio perfecte fuerit inchoata, aufertur; plerumque tamen, cum paucum fere sit, relinquitur, vt aquæ primariæ miscetur.

Mittimus, quod interdum in destillatione aquarum, pro alio quidem scopo, intus in alembico suspendantur cornuum ceruinculum frusta, vel dentes apri & similia, vt vaporibus aqueis continuo transeuntibus emoliantur, gelatina firmiorem reliquis particulis cohaesionem largiens e poris extrahatur, sicque ad puluerisationem subeundam magis aptentur; id quod calcinationem philosophicam appellare solent, sed ad aquas destillandas nihil quicquam conferentem, vnde plura de hac addere superuacaneum foret.

CON-

CONSEQUITVR aquarum destillationem interdum earundem *cohabatio*: id est, destillatio iterata ex eodem subiecto, h. i. non tam in individuo, quam in specie, ut v. g. aqua roscarum destillata recentibus rosis affundatur, & denuo abstrahatur, pro maiori fragrantia obtainenda, & viribus augendis; ipsi enim capiti mortuo, seu quod in fundo remansit, paucas vires volatiles inesse, easque repetita destillatione minus depromendas, compertum habemus.

In primis vero prædicta cohabatione, aqua destillata secundaria meliorari potest. Alia autem reificatio, pro spiritibus quidem dephlegmandis frequentius in vsu est, ast destillatis aquis minime congrua videtur: quum in illis concentrata, in his diffusa magis virtus expetatur.

Quod si cum aqua simul oleum prodeat, post destillationem, huius ab illa *separatio* facienda est, vitro hypocleptico aliisque modis; siue oleum aquæ supernatauerit, siue ad fundum subsidat. Et hoc tamen rarius contingit, præsertim si aqua principaliter, oleum vero minus expetatur. Quinimo aliquando, si minor olei quantitas, quam quæ commode separari possit, cum aqua destillata producisse obseruetur, citra separationem huic illud coniunctum relinquitur: quod itidem exemplo aquæ roscarum confirmatur, vt de aliis iam nihil dicamus.

Sequitur aquarum destillatarum *affirmatio*, quæ nec in vasis lignis, nec in metallicis facienda, ne vel corrumpantur, vel aliena qualitate hinc imbuantur; sed potius in lagenis puris, tum vitreis, tum terreis probe coctis, in loco frigido, vt est cella subterranea, collocandis. Ita enim per æstatem calor ad corruptionem eas disponens certius arcet, & hyeme gelu prohibetur, ne vasorum diffractio, viriumque deperditio, aquis ita reconditis metuenda sit.

Haud negligenda quoque est *orificii lagenarum obturatio*, vt partim fuga particularum nobiliorum volatilium prohibeat, partim aer externus arceatur, omnibus ferme rebus corruptionem inferens: in specie ne puluis aliique sordes incident, heterogeneitatem atque situm aquis inferentes; ne insectis, muscis aut vermis, accessus permittatur, quippe quibus inquinatae aquæ destillatae minus usibus medicis, præsertim internis, amplius sunt impendendæ, sed potius foras proiciendæ estimantur.

Fit autem orificiū lagenarum obturatio omnium optime oper-

culo vitreo firmiori accurate illud occludente, præsertim si per tritum cum lapide smyride adaptari potuerit. Sed cum rarius eiusmodi vitra præsto sint, subere quoque satis bene vasa obturantur, quin & charta, vt picem ceramue taceamus.

Cæterum licet aquæ destillatae plerique limpidæ atque claræ existentes, separatione partium crassiorum in fundo vasis destillatorii reliatarum, satis puræ habeantur, vt alia depuratione vix indigeant; cum tamen aliquæ aliquandiu asseruatae successu temporis partes terreas subtiliores, cum reliquis per alembicum transuetas, conspectui prodant, sedimentum quoddam exhibentes: ab hoc consulto liberandæ sunt, vt pristinam claritatem, viresque feruent melius, quod fieri potest percolatione, vel filtratione, vel potius, nisi leuitas innatantis illius sedimenti prohibuerit, sola decantatione.

Præter hancce depurationem, aliquando solum, nec in omnibus æque necessariam, præstat asseruare aquas fibi relietas, quales per alembicum prodierunt; cum hac ratione vñibus suis, quibus destinantur, melius accommodari possint. Minime ergo conueniens est, post peractam destillationem, vel salis proprii plantæ, cuius aqua fuit destillata, in hanc additio; vel etiam alterius cuiuscunque, v.g. nitri, quod aliqui suadent, adiectio. Multo minus extractum admiscendum est, nec ea, quæ colorem, vel odorem extraneum eidem conciliant. Ab his enim aquæ partim incongrua redunt, plerisque suis vñibus, partim citior earundem corruptio promovetur, & inducitur.

Restant adhuc quædam exantlata iam destillatione peragenda, quæ quidem ad ipsam aquam iam impletatam nil quicquam conferunt, sed partim ultra hanc, velut inde acquisiti commodi quoddam superpondium, nouum productum vñibus medicis congruum largiuntur, partim pro sequentibus destillationibus absque maiori impedimento instituendis, sunt necessaria.

Prius concernit ipsum a destillatione residuum, Chimicis caput mortuum appellatum, quod quidem haud infreenter, tanquam inutile & omnibus viribus actiuis orbatum, penitus abiicitur. Quoniam tamen aliqua pro aqua destillanda adhibita plurimam fæne virtutem, verum non usque volatilem, possident, quin id, quod in fundo vesicæ remansit fixus, egregiam partem intimius inclusam

DE AQUIS DESTILLATIS.

clusam retinuerit, teste experientia: facile constat, quare promiscuam capitum mortui proiectionem improbemus, atque colatura & expressione, per linteum vel alio modo facta, leni igne superfluas partes aqueas abigi suadeamus, ut spissorem acquirat consistenti-am, & in extractum abeat: exemplo radicis scorzoneræ, qua præter aquam, etiam extractum elegans largitur, vt de alijs iam nihil dicamus. Omitimus etiam exsiccationem & incinerationem capitum mortui, pro sale extrahendo; quale quid post aquæ cinamomi destillationem experiri licet, quamvis rarissime soleat fieri.

Vltimum denique paulo ante indigitatum, & post destillationem obseruandum, eoredit, vt vasa debite iterum purgantur, & mundata in suum locum singula reponantur, quo destillationibus aliis faciendis absque mora præsto sint. Longe facilius enim procedit, quam Chimiater illico a finita destillatione aggreditur, expurgatio; quam quæ tædio, vel temporis defectu longius differenda est, ac deinceps licet operosiori labore adhibito, vix ex voto solet succedere: vt alia hoc loco monenda dimittamus.

CAPUT III.

De aquarum destillatarum viribus & usu.

Quandoquidem selectorum medicamentorum classi aquæ destillatae merito sunt inferenda: licet enim tantam, quantum alia nonnulla habent, actuitatem minus possideant, specificis tamen viribus, quæ quidem stylo veritatis & experientiæ testimonio ipsis afferuntur, orbatæ & exutæ haudquam reputantur sunt; hoc capite, quibusnam viribus gaudent, quibusque viribus impendantur, paucis exponendum restat.

Tales igitur aquis destillatis competit vires, quales ipsa subiecta, e quibus parantur, possident, nec tamen in uniuersum omnes, verum istæ, quæ possunt per vapores evanescere, hoc est, virtutes præcipue subiectorum destillabilium, quæ non vnicce in parte fixiori sunt coarctatae & concentratae. Sicut vero & diuersissima sunt aquarum destillatarum subiecta, & satis diuersa est præparandi ratio, de quo ex precedentibus constat; sic omnino his ipsis diuersitatem & varietatem virium induci quis mirabitur? dicimus tamen in genere, omnes aquas destillatas esse alterantes. Cumque actu situ

DISSERTATIO MEDICO-CHIMICA

30
humidæ, omnes humidum corporis augere, & siccitati mederi vi-
dentur; vt proinde cæteris paribus in vigiliis, mania, melancholia,
tabe, atrophia, heætica, & similibus, egregie sint profuturæ.

Vt distinctius hæc explicemus, plurimæ aquarum destillatarum
sunt *refrigerantes*, vel saltim temperantes, fixiores in primis & mag-
is aquosæ, hoc est, nullis, vel paucioribus particulis actiuis, salino-
sulphureo-mercurialibus imprægnatæ; vel etiam de sale acido ma-
gis participantes, quo tum sal volatile biliosum rarefactum
di-
luatur atquæ distemperetur, tum ipsum sulphur sanguinis non nihil
obtundatur: vt proinde, vbi motus humorum citior, & calor in-
tensior, v. g. in febribus ardentibus, & in scorbuto calido, ad iustam
temperiem est reuocandus, ipsæ admodum utiles iudicentur.

Vicissim aliæ aquæ destillatae, intra corpus assumtae, sulphur san-
guinis intendunt atque rarefaciunt, quippe particulis actiuis sali-
no-sulphureo-mercurialibus magis fætae, & quasi abundantes, cu-
iusmodi sunt, quæ magis spirituosa, vel per fermentationem prævi-
am, vel additione vini, vel ex aromaticis paratae, quibus hoc respe-
ctu vires *calefacentes* merito tribuuntur. Ex his ipsis vero maxime
omnium eminent, & reliquis præferuntur, quæ vel grato odore na-
res titillant, vel iucundo sapore palato arrident; vt vel ob hanc ge-
minam sensuum gratiam, haud raro in usum vocentur, quin & reli-
quis, quibus admiscentur, gratiam fœnerent.

Præterea vires *aperientes* quibusdam conueniunt, quæ agunt di-
luendo, ac fluxilitatem humoribus lentis & crassis conciliando, vt
sublata obstructione inde oriunda, motus humorum debitus in in-
tegrum restituatur. Compositam eiusmodi describit *Sibræderus*, in
Pharmacop. lib. II. cap. 38. p. m. 153. Sed & e simplicibus, aqua cichorei,
hepatice nobilis, & aliæ hoc nomine laudantur; vti cum his, quæ
resoluunt, quæ diureticæ, lithontripticæ & antiscorbuticæ sunt, non
minus, ac hepaticæ & spleneticæ aquæ, tam simplices, quam com-
positæ, affinitatem quandam habere videntur.

Virtute *alexiphormacea* etiam, seu *bezardica* plurimæ se commen-
dant, & que ac *diaphoretica*, ac *sudorifera* aliquæ habentur. Neque in-
ter *traumatica* & *carminativa* remedia ipsarum titulus deest, quin-
potius haud exiguo numero sub ipsis recensentur.

Non dicemus iam, quasdam *ad Venereum stimulandam*, rursus
alias ad eam cohibendam, esse accommodatas. Neque prolixam
men-

mentionem faciemus reliquorum titulorum, sub quibus medicamenta ratione virium recensentur. Illud solum annotabimus, paucas haberi remediorum pharmaceuticorum classes, in quibus nulla penitus aqua destillata locum inueniat, vt proinde inter specifica quoque illarum plurimæ nominentur. Etenim habentur aquæ cephalicæ, stomachicæ, & vterinæ, habent pectorales, cordiales, spleneticæ, atque hepaticæ: vt apud *Macassum in Promptuario*, aliquosque de materia medica scriptores, videre est; quum singulos seorsim excutere loculos nec breuitatis studium, nec instituti ratio permittat.

Verum enim vero, in prolixo satis aquarum destillatarum catalogo, quæ in officinis prostant, vel prostare possunt, non haberi aquas purgantes, non adstringentes, non somniferas, pro certo asserimus. Magis fixa enim purgantium, & adstringentium, & somniferorum est virtus, vt, licet laboriosa destillatoris industria sollicitetur, in fundo nihilominus remaneat, & cum aqua per alembicum ut euehatur, minime adduci queat.

Quamuis igitur in officinis aqua hypnotica *Dorncreilii*, a virtute somnifera nomen gerat, & quædam adstringentium quoque aquæ destillari soleant & possint, v. g. centinodii, foliorum quercus, plantaginis, tormentillæ, &c. tantum tamen abest, vt recensitæ aquæ adstringentes, vel etiam somniferæ dici vere mereantur, vt potius virtute alterutra, quæcunque illis adscribatur, destitutæ per rationem atque experientiam deprehendantur. Etenim vis adstringens consistit magis in partibus fixioribus terrestribus, plerumque subtile acido-austerum vehentibus, quod tamen neutiquam a se dimittunt, vt per evaporationem auolet, sed potius in fundo destillatorii sibi intimius iunctum detinent, vt in extracto potius illa virtus integra habeatur. Neque diuersa est aquæ hypnoticæ ratio, nisi post destillationem ulterior compositio cum somniferis aliis accesserit.

Præter hæc, quasnam vires habeat hæc vel illa aqua destillata simplex, cognoscitur fere e cognitis subiectorum simplicium viribus, cum viplurimum ex nomine cuiusvis illa suum sortiatur titulum, excepta in primis illa, quæ omnium florum vocatur, & e stercore bubulo paratur, virtutemque cosmeticam contra lentigines, & alias maculas habere dicitur. Quæ vero sunt compositæ, cum plerumque a viribus denominantur, v. g. antiscorbutica, epilepti-

32 DISSERTATIO MEDICO-CHIMICA DE AQUIS DESTILLATIS.
ca, acustica, asthmatica, carminativa, &c. ipsæ hæ sic minime
latere possunt.

Quæ vero aquæ destillatae nullas plane vires habere videntur, ut sunt aliquæ
principiæ solius depurationis gratia paratae; illæ tamen nec hac de causa omni usus
careri sunt reputanda. Vfus quippe earum non tantum est medicus, vt tanquam
liquores medicamentos sanitati litent, & humano corpori interitus vel exterius
applicentur; verum etiam pharmaceuticus esse potest, vt preparandis aliis inferuant.
Commodissima enim præbent menstrua, ad soluendum atque extrahendum
ea, quæ quidem vel per solam infusionem, vel per superadditam decoctionem, vi-
res suas ipsis communicare queunt. Exemplo sint infusa emetica, vt alia taceamus;
sicut & saccharum cum q. aquæ destillatae vnius, vel plurium, ordinarie soluen-
dum est, si morsali vel rotulæ paranda prescribantur.

Cum autem, respectu aliorum medicamentorum, vires longe diffusiores habeant
aqua destillata, atque adeo primario usu curationis prouincia ipsius minus demanda-
ri quæat, hinc frequentius altero tantum, & secundario fine adhibentur; vt etiam,
exceptis fere paulo spirituosis oribus, tanquam magis actiuis, per se sola ratiis
surpassantur.

In primis vero vehicle constituant, ad alia medicamenta intra corpus com-
modius assumenta, variisque compositiones ingrediuntur, & iis parandi inferuant:
sicut potionis, mixturas, emulsiones insignissimi usus harum ope conficiimus,
vt medicamenta maior cum gracia variata magis inuent ægros & delectent.

Sed & externis carum usus multiplex est, & per quam egregius. Etenim epi-
thematæ frontalia, & ad pulsus, confortandi scopo, quandoque etiam temperandi,
vel sepellendi, ex ipsis ordinantur; vt de embrochis, seu filicidis, nihil dicamus.

Quin & in oculorum affectibus ex aquis quibusdam, qua hinc ophthalmice
appellantur, cum aliis scopo aptis, egregia conficiuntur collyria. Sic ex aqua che-
lidonii majoris, euphrasia, calcatrippæ, fl. cyani, cum perlis ppt. magisterio &
Saccharo Saturni, atque pompholyge, lac ophthalmicum laudatissimum confici
potest; sicut etiam ex aliis ingredientibus, cum ipsis aquis destillatis, plura huiusmodi
pro oculorum solatio componi possunt remedia.

Naribus etiam eribina subministrante aquæ destillatae, uti vel sola maiorana
aqua, in coryza, obstructione narium, vel olfactu amissio proficia, laudari mereatur,
cum vitriolo albo, & aliis facile maritanda.

Os & fauces itidem ab illis remedia exposunt, dum gargarismata ex ipsis pa-
rantur, quibus in inflammationi faucium, vel aphritis infantum medela afferatur, vel
gingivæ male affectæ restituantur, ut plura non laudemus.

Vfus denique cosmeticæ & abstercio se commendant, dum pro lauiganda cute,
& delendis maculis, essentia benzoes, vel magisterium cosmeticum, cum aqua flo-
rum fabarum, rosarum, sigilli Salomonis &c. facie & manibus applicatur, & istæ
partes hiscum abluantur.

Mittimus usus alios, & inter hos etiam culinarium, quando aqua rosarum, &
cinnamomi in primis, pro ferculis quibusdam gratioribus reddendis, a coquis iis-
dem insperguntur & admisceruntur.

SOLI DEO GLORIA!

Nr. 19 als Titel nicht zu
identifizieren!

01 A 6537

f




3

TA→OL

nur Stck. 12 bis her verknüpft

1002



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



I. N. I.
DISSERTATIO MEDICO - CHIMICA
DE

AQVIS DE-
STILLATIS,
DIVINI NVMINIS AVXILIO,

IN FLORENTISSIMA ACADEMIA SALANA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,
DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM,
ANGARIAÆ ET WESTPHALIAÆ, & reliqua,
BENEVOLO GRATIOSISSIMA FACULTATIS MEDICÆ CONSENSV,
PRAESIDE

ERNESTO HENRICO
VVE DELIO,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE, HVIVSQUE
PROFESSORE PUBLICO EXTRAORDINARIO, MEDICO
PROVINCIALI SAXO-VINARIENSI, CIVITATISQUE
IENENSIS PHYSICO,
DNO. PATRONO ET PRAECEPTORE ÆTATEM COLENDO,
publico amicoque eruditorum examini proposita,

a
CÆLESTINO AMANDO KRINK/

Budissa-Lufato,
IN AUDITORIO MEDICO.

Horis consuetis,
A. D. Octobris. Anno CCCCLXXVII.

IENÆ, Literis CHRISTOPH. KREBSII.